

rium excipient, ut intermissam ab eo Historiae
seriem, ad mortem usque Johannis Galeatii,
primi inter hujuscet Metropolis Duces, accurata
gestarum rerum narratione prosequerentur;
unde nobis dedicandi libri petitum est argumen-
tum, gratius existimantibus patriarcharum vicissitu-
dinum lectionem exhibere; quæ licet in perpetuos
commentarios cura & ære publico à laudatissimis
viris redactæ per manus omnium circumferan-
tur, non satis tamen veritati non uno in loco
respondere cognovimus, ea præcipue de causa,
quod recentiores Historici styli barbariem evitan-
tes, dum latinas cultiores voces adhibent, mirum
quām diversas à vero factorum rerumque notio-
nes incautè supponant. Præstantius itaque ex
ipsis fontibus præteritorum temporum memoriam
repetere, & Majorum imagines puris coloribus
expressam contemplari.

Et sanè quām sincera & vero simillima felicis-
simæ Urbis facies à Scriptoribus nostris utcumque
barbaris per ætates omnes repræsentatur, post-
quam everso Romano Imperio, cum quo vires &
opes, positis armis, communes fecerat, in potesta-
tem efferatarum Nationum vénit, & sævissimas
clades iterum iterumque passa, regiam dignita-
tem, et si calamitatum horrore obumbratam num-
quam deposituit, sed instaurato rursus Regno nova
semper majestate fulgida proximum Romanæ Urbi
locum occupavit, & Metropolitico jure potens
ad reparationem Romani Imperii, sub quo feli-
cissimè vivimus, Italicam coronam suam ultro con-
tule-